



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

I. De Gratiani emendatione ex Conciliis non editis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634



ANTONII
AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI
TARRACONE NSIS
DE EMENDATIONE GRATIANI
dialogorum liber posterior.

DE GRATIANI EMENDATIONE
ex Conciliis non editis.

Dialogus primus.

C. CUM ad te venirem, Ilerdæ
apud Vincentium fratrem conso-
brinum meum commoratus, in-
tellexi ab eo te cum Petro Gale-
sio de Gratiani emendatione aliquot diebus
egisse ipso præsentem; cujus sermonis sum-
mam fuerat is scriptis complexus, quam ab
eo accepi. Sed aiebat, cum aliquot distin-
ctiones percurrere cœpisset Galesius, classis
cujusdam nuntio interpellatum, Barcinonem

Q iij

In hoc libro
A. Anto-
nium Augu-
stinum signi-
ficat, B. Fran-
ciscum E-
doardum, C.
Martinum
Augustinum
Joannis fi-
lium.

profectum, ut in ea, si posset, in Italiam perveniret, ipsum autem Ilerdam paullo post rediisse ad studia intermissa. Ejus sermone incensus, à te petere & si pateris, flagitare cogor ut me de ceteris Gratiani locis edoceas. Percommodè autem accidit ut cum hoc tibi desiderium meum vellem exponere, cum B. nostro rem communicaverim. Is mihi dixit se Barcinonem ivisse, ut veteres quosdam Conciliorum & aliorum scriptorum libros describi tibi curaret & alia quædam ad Gratiani emendationem maximè pertinentia. Itaque ambo accessimus, ut nos dignos arbitris quos vel reliquiis illius splendidi convivij, quod apparatusissimum fuisse didicimus, satures. A. Ego verò vos non reliquiis saturare, ut dixisti, sed splendidissimis conviviis accipere dignos arbitror. Hoc autem ipsum, quod cupis, meliùs hic B. noster præstare poterit: quippe qui acta ipsa selectorum illorum patrum legit qui Romæ Gratiano mendis expurgando præerant, & veteres illos libros descripsit, & diù multùmque est in hoc genere litterarum versatus. B. Negare non possum me his delectari studiis, & te potissimùm duce, cum magna mea voluptate, in Conciliorum decretis & Pontificum epistulis perlegendis dies noctesque consumere. Neque etiam recuso quin, quod sciam poteròque, C. nostri desiderio satisfaciam. Te verò præsentè id agi, utrique nostrum utilius & gratius est. Sunt enim multa obscura & incerta, in quibus etiam illi selecti Roma-

ni hæ
nes,
collec
permi
randu
quod e
faveat
neam.
licta a
rem m
ut inge
trepid
aliqui
morie
piat n
dosis l
vissim
videar
non e
ration
pitum
verba
naveri
illud p
ca me
& pa
confe
quem
ma m
Zach
byteri
ut ant
editis

ni hærent. Sunt etiam variæ quædam lectio-
 nes, quæ collatione librorum veterum aut
 collectorum acciderunt; in quibus & in aliis
 permultis tuum nobis erit auxilium implo-
 randum. A. Video me non posse effugere
 quod exoptatis. ideo libentiùs faciam, ut C.
 faveam, & quid à te petere debeat admo-
 neam. Obscura verò & varia à Romanis re-
 lieta auditorus libenter sum; non quo spe-
 rem me illa certa & aperta redditurum; sed,
 ut ingenia hominum sunt, id ipsum dubitare,
 trepidare, & labi sæpe delectat. Et ut si quis
 aliquid medicamenti attulit desperato jam &
 morienti ægroto, voluptatem magnam ca-
 piat necesse est, sic qui jam deploratis men-
 dosis locis scriptorum medicinam tulit, sua-
 vissimos capit laboris sui fructus. Sed age,
 videamus quid auxiliij ex veteribus Conciliis
 non editis Gratiano adferri potest? B. Qua
 ratione si quis quærat fontes singulorum ca-
 pitum in editis Conciliis, & conferat eorum
 verba, multùm juvatur quòd hæc ab illis ma-
 naverint, ita etiam in non editis eveniet. Sed
 illud pluribus notum est, & faciliùs sanari lo-
 ca mendosa potuerunt; hæc minùs nota sunt,
 & paucis patuit aditus ut ea cum Gratiano
 conferrent. Exemplum sumam ex hoc libro,
 quem ad te adfero, cujus partem ad te Ro-
 ma missum scio. Apud Gratianum caput hoc
 Zachariæ Papæ adscribitur: *Episcopi, Pres-
 byteri, Diaconi secularibus indumentis non
 utantur &c.* Hoc in Conciliis aut epistulis
 editis Zachariæ non invenies; sed est in Con-

21. q. 4. c. 3.
 Episcopi.

Q iiij

Dist. 93. cap.
4. Iuxta.

De iureju-
ran. c. 4. Ego.
Grego. IX. c.
20. de elect.
in 1. collect.

cilio Romano Zachariæ capite tertio. (1)
Sic distinctione xciii. Anacleto & Zachariæ adscribuntur illa verba : *Juxta sanctorum patrum &c.* Sed meliùs Anselmus refert ex Concilio Zachariæ Papæ. Est autem caput quartum illius Concilij. A. Ego cum verba Gratiani cum Anselmi verbis contuliffem, inveni meliorem scripturam videri illam Anselmi quàm vulgarem Gratiani. Scire cupio an eam confirmet vetus hoc Concilium. B. De illis fortasse verbis dicitis : *Omnes Episcopi qui hujus apostolica sedis ordinationi subjacent, & qui propinqui sunt.* In eo Concilio *subjacebunt qui propinqui sunt* scriptum est, & voce omiffa. A. *subjacent qui propinqui sunt* habet Anselmus apertius. Et ideo postea dicitur : *Qui verò de longinquo sunt, juxta chirographum suum impleant.* C. Estne hoc illud chirographum cujus formula exstat sub titulo de iurejurando : *Ego N. &c.* A. Ea formula à Gregorio VII. concepta est, qui posterior fuit Zacharia. sed fortasse priores Pontifices simile sacramentum Episcopos suos præstare jubebant. C. Cur adicitur in hoc capite, *qui hujus apostolica sedis ordinationi subjacent?* An sunt alij qui non subiciantur? A. Hodie nulli ferè sunt. Sed illis temporibus electi Episcopi à clero, à Metropolitanò confirmabantur, & ab eodem consecrabantur, aut, eo consentiente, ab alijs Episcopis. Metropolitanorum electio à Patriarcha confirmabatur; quibus Pallium quoque dare permittit Innocentius III. in Con-

cilio g
tur, h
ni sed
ab inf
bantu
urbem
quota
omnes
giùs h
venieb
etiam
danda
cum ec
ficion
Sed ad
riæ Pa
ta caul
nuary
cretis Z
b refer
Roman
Kalend
ferit, a
parare
choros
ram De
dam B
ni conc
vidisse
Kalend
choros
& cant
illa die

cilio generali capite quinto. Ordinationi igitur, hoc est, consecrationi, vel confirmationi sedis apostolicæ illi non erant subiecti qui ab inferioribus confirmabantur & consecrabantur. B. Cur autem venire cogebantur in urbem quotannis omnes? An ad synodos quotannis habendas? A. Neque quotannis omnes venire cogebantur, sed aliqui; longius habitantes intra biennium aut triennium veniebant; neque synodi causa solum, sed etiam ob lites aut inter ipsos Episcopos sedandas aut cum aliis Clericis vel laicis, & ut cum eorum consilio Pontifex Romanus difficiliora negotia explicaret atque dirimeret. Sed ad Gratianum redeamus. (2) B. Zachariæ Papæ adscribit Gratianus verba illa posita causa xxvi. extrema: *Si quis Kalendas Ianuarij ritu paganorum colere &c.* quæ ex decretis Zachariæ cap. xi. Burchardus a & Ivo referunt. Magna cum varietate sunt hæc in Romano Concilio Zachariæ cap. ix. *Si quis Kalend. Ianuarias & bromas colere præsumserit, aut mensas cum dapibus in domibus præparare, & per vicos & plateas cantationes & choros ducere, quod maxima iniquitas est contra Deo, anathema sit.* A. In epistula quadam Bonifacij martyris ad Zachariam inveni conqueri illum quod dicerent barbari se vidisse Romæ juxta Ecclesiam sancti Petri Kalendis Ianuarij paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes & cantiones sacrilegas audivisse, & mensas illa die vel nocte dapibus onerare, & alia fie-

c. 23. Antiqua. de privile.

26. q. 7. c. 14.
Si quis.
a Burch. lib. 10.
c. 16.
b Ivo par. 11.
c. 43. decret.

ri. Cui Zacharias rescribit tam se quàm Gregorium Pontificem, cui successerat, qui à nobis Gregorius tertius appellatur, illa prohibuisse. C. Quid vox *bruma* significat? an pro *bruma* posita est? A. Capite LXII. sextæ synodi repetitæ in Trullo brumalia prohibentur, quæ videntur esse à bruma dicta. Incidere autem bruma solebat Saturnalibus diebus, non longè à Kalendis Januariis. B. Tertullianus in libro de idololatria hoc confirmare videtur, cùm de brumæ honorario & de Kalendis Januariis & Saturnalium celebratione agit. Ambrosius tamen in epistula ad Galatâs ad Jani cultum refert has Januarias Kalendas. *Mensas* verò, non *menses*, ut apud Ivonem est, scribendum esse rectè ex Bonifacij verbis colligitur. (3) Sequitur illud quod Macario Papæ Gratianus c, Zachariæ Burchardus d & Ivo e & liber Cæsariugustanus f adscribunt. Est autem in hoc ipso Romano Concilio cap. XIII. & XIV. C. Hac de re invenio in dialogis cum V. & G. g fieri mentionem, ut etiam de Anacleti & Zachariæ capite distinctione XCIII. à te commemorato. B. Sunt quædam meliùs scripta in Concilio quàm apud Gratianum, ut illud, *ab alio Episcopo*, non *ab aliquo*. Et post illa, usque in finem, additur: *quia scriptum est h: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (4) Alia exempla sumamus ex duabus Romanis synodis non editis Eugenij secundi & Leonis quarti. Coniunguntur autem in veteri libro, quòd magna ex parte eisdem verbis

c De consec.
d. 1. c. 56.
Nullus.
d Burc. lib. 3.
c. 230. & 231.
e Ivo par. 3.
ca. 270. &
271. decr.
f Cas. lib. 4.
c. 48.
g Dial. 4. li. 1.
& dialogo 13.

h Mat. 10. c.

scripta sint. Nam si quis quærat quid sibi velit hæc Gratiani inscriptio caussa XII. *i Item Eugenius Papa & Leo nonus: Necessaria etenim res &c.* aut illa Anselmi *k Ex synodo Eugenij Papæ*, quid respondeat non habebit. Invenitur autem in hoc duplici Concilio cap. VII. (5) At Leonis Papæ esse dicuntur illa verba *l: Sine ornatu sacerdotali extra domos apparere nullo modo convenit.* Ea nullo modo in beati Leonis Papæ registro quisquam inveniet. sed hujus Concilij sunt capita duodecim. A. Sumpsit Gratianus ab Anselmo *m.* sed Ivo *n* & liber Cæsaraugustanus *o* ex synodo Eugenij esse scribunt. Ivo autem solus plenius quædam retulit. B. Plura sunt in ipso Concilio. (6) Sic etiam Ivo *p* caput XI. hujus Concilij refert ut ex synodo Eugenij Papæ tempore Ludovici & Lotharij Augustorum habitæ, & liber Cæsaraugustanus *q* ex synodo Eugenij Papæ. Sed plenius est id caput in eodem Concilio. Caput XIII. posuit Gratianus caussa XIV. *r* cum hac inscriptione: *Vnde in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa statutum est.* Pro illis verbis *tamen in ipsis secularibus negotiis &c.* scribendum: *tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur.* C. Ante ea verba vox *credibilis* est in Concilio, *credibile* apud Gratianum. B. Ita est ut dicis. (7) Distinctione *xxci.* *f* caput VII. (cujus initium *Sacerdos aut quivis*) Eugenio Papæ adscribitur. Id in his Eugenij minoris & Leonis IV. synodis invenio capite XIV. & scriben-

i 12. q. 1. c. 3.
Necessaria.

k *Ansel. lib. 7.*
c. 5.

l 21. q. 4. c. 4.
Sine.

m *Ansel. lib.*
7. c. 103.
n *Ivo par. 13.*
c. 7. dec.
o *Cæs. libr. 8.*
c. 25.

p *Ivo par. 11.*
c. 76. decr.

q *Cæs. lib. 8.*
cap. 81.

r 14. q. 2. c. 2.

f *Dist. 81. c. 7.*
Sacerdos.

dum est: *in ordinem ecclesiasticum proventus, si in eo scelere inveniatur, quo abiciendus existat.* (8) In eadem distinctione t caput adjectum à Palea cum hac inscriptione, *Ex decreto Eugenij Papæ*, quod etiam apud Anselmum u & Bernardum Papiensem refertur, hujus Concilij est caput decimumquintum. Varietas magna est, ut in Notis tuis ad Papiensem ex libro Veronensi à te relata est. A. Pergratum mihi est quod fontem illius capituli indicaveris, ut etiam aliorum quæ à te narrata sunt. (9) B. Caput XVI. Gratianus y refert ut ex synodo habita Romæ ab Eugenio Papa. Melius est in libro Cæsaraugustano: *In Concilio primo Eugenij Papæ cum Episcopis LXXII. & Leonis IV. cum Episcopis LXVI.* A. Si addidisset cujus Eugenij id Concilium esset, nihil desiderari aptius posset. Cupio tamen scire abs te, num conveniat in Episcoporum numero? B. In Leonis synodo nulla differentia est, in Eugenij tamen decem Episcopi plures in Cæsaraugustano sunt quam in veteri libro ejus Concilij. A. In verbis quam varietas est? B. Quod apud Gratianum est, *res mobiles aut immobiles*, in eo Concilio est, *res mobiles*, in libro Thomastico Gratiani *res immobiles*, in Cæsaraugustano sola vox *res* invenitur. A. Nihil mutandum censeo. B. In extremo capite, *coartandus existat*, est in Concilio, *coartatus existat* habet Gratianus, *coërceatur* liber Cæsaraugustanus. A. Scriptura Concilij recipienda est. (10) B. Caput XIX. Leoni Papæ adscribit. Gratianus

† Ead. dist. c. 22. Si quis piam.

u Ansel. li. 8. cap. 9. x c. 3. de cohab. cler. in 1. eollef. & apud Greg. IX. c. 2. c. tit.

y 12. q. 1. c. 27 Nulli.

z Cæs. lib. 7. cap. 61.

a distinctione LXXI I. ut Anselmus b, Eugenio Papæ liber Cæsaraugustanus c. Pro illis, nisi ab ipso postularus, scribendum est, nisi ab alio postularus; ut in his tribus libris est; quamvis Anselmus habeat *postuletur pro postularus*. Pars ejusdem capituli omissa est, qua cavebatur ut dimissoriæ litteræ universalis Pontificis aut Imperialis vel Metropolitanæ bulla roborentur. C. An etiam Metropolitanæ bulla utebantur? A. Sigillum arbitror significari. Sed & Venetorum Dux bulla utitur plumbea in quibusdam litteris. Et Græci Imperatores χρυσοῦσουλλον appellabant litteras eorum aurea bulla exornatas. Cetera poterunt alio die conferri. Nostis enim occupationes meas. B. Ita fiat.

a Dist. 71. c. 1.
b Anf. lib. 6.
c. 122.
c Cæsar. lib. 4.
c. 87.

Vid. Balsamo ad Photium, cum scholis.

ADDITIONES.

(1) IN editione Gregoriana cap. 3. *Episcopi*. 21. q. 4. inscriptio est: *Item Zacharias Papa in synodo Romana c. 3.* In Notis est: *Hæc synodus à Zacharia Papa habita extat in bibliotheca Vaticana & Regiensi.* Et in indice librorum est: *Zacharia decreta ex bibliotheca Ormaneti Episcopi Patavini, Synodus Romana ex Vaticana, Francica ex Dominicana supra Minervam.*

(2) De inscriptione cap. 4. *Iuxta*. dist. 93. dictum est in dialogo 13. additione 2. libri prioris. In verbis hæc leguntur: *Ordinationi subjacent, qui propinqui sunt.* Capituli 4. Ego N. de jurejur. inscriptio est: *Idem (Gregorius) Petro Subdiacono.* In margine est: *cap. 10. tit. de electione in 1. compil.*

(3) Ante cap. 14. cau. 26. q. 7. in eodem libro hæc sunt: *Vnde Zacharias Papa in Concilio Romano c. 9.* Si quis Calendas Januarias & brumam ritu paganorum colere vel aliquid plus novi facere propter no-

vum annum, aut mensas cum dapibus &c.] In margine hæc sunt: Polyc. *ibidem*. (hoc est, l. 6. tit. 12. Burch. l. 10. c. 16. Ivo par. 11. c. 43. Et in Notis: Hoc est caput nonum in Concilio Roma à Zacharia habito, quod asservatur in Vaticana bibliotheca; & inde nonnulla sunt emendata & addita. De hac autem superstitione Bonifacius Legatus Germania epistola secunda, qua est in tomis Conciliorum, ad ipsum Zachariam multa scribit: cui Zacharias ultima epistola respondens, mentionem hujus Concilij videtur facere his verbis: Et quia per instigationem diaboli iterum pululabant, à die qua nos iussit divina clementia (quam immeriti existamus) Apostoli vicem gerere, ilico omnia hæc amputavimus. Idem prohibetur pluribus verbis in canonibus qui sexta synodo adscribuntur c. 62. Et multa in hujusmodi superstitionem scribit Tertullianus in libro de Idolatria & alij graves auctores. Vel aliquid plus novi facere propter novum annum] Hæc non sunt in codice istius Concilij Vaticano.

(4) In dialogo quarto addit. 12. dictum est de inscriptione capitis 57. Romanis, de consecr. dist. 1. cujus initium Nullus Episcopus. Editum est, ab alio Episcopo. Et post vocem finem hæc sunt: quia scriptum est: [qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.] Si quis verò &c. Et in margine: Mat. 10.

(5) Cap. 3. Necessaria. 12. q. 1. in libro Romano inscriptio est: Item Eugenius Papa II. & Leo quartus c. 7. In margine est: Ans. l. 7. c. 5. & l. 4. c. 2. Et in Notis: Est caput septimum Concilij Roma ab Eugenio II. primùm habiti, & postea à Leone IV. innovati. Antea citabatur Leo nonus.

(6) Hæc inscriptio est in eodem libro capitis 4. Sine ornatu. 21. q. 4. Item Leo Papa IV. in synodo Romana c. 12. In margine est: Ans. l. 7. c. 162. Ivo par. 13. c. 7. Post verbum patiantur addita sunt hæc: Sed ea solummodo qua per patres constituta videntur observet. Contrarius &c.

(7) Inscriptio capitis secundi sive posterioris 14. q. 2. in eodem libro hæc est: Vnde in synodo habita Roma ab Eugenio Papa II. statutum est c. 13. Quam-

quam sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur &c. In margine est: *Poly. l. 4. tit. 31. In Notis: Pro testimonio*] Sic est emendatum ex Conciliis Eugenij II. & Leonis IV. & Polycarpo. Antea enim legebatur, pro conficiendis instrumentis ad testimonium non rogentur. Et si autem] In Conciliis ipsis & Polycarpo legitur, si enim eventa causæ aliquid viderint &c.

(8) Caput 7. distin. 81. ita in eodem libro inscribitur: *Item Eugenius Papa. Sacerdos aut quivis alius in ordine ecclesiastico proventus, si in eo scelere invenitur quo abjiciendus comprobatur &c.* In margine est: *Ans. l. 5. in prin.* Imperfecta hæc sunt.

(9) Eiusdem distinctionis caput 22. Si quispiam sacerdotum, in eodem libro hanc habet inscriptionem: [Ex decreto Eugenij Papa] *Palea.* In margine hæc sunt: *Poly. l. 4. tit. 31. ex Lucio. Ans. l. 8. c. 9. ex prin. Romano.* In Notis: *Ex decreto*] *Hic canon in Concilio Romano primùm ab Eugenio secundo editus, & postea à Leone quarto etiam in Concilio fuit repetitus, & citatur in decretalibus tit. de cohabit. cleric...* (deest, &) *mul. Et in plerisque vetustis exemplaribus est sine nomine. Admonitionem*] In eodem canone sequitur, *Metropolitani vel alterius Episcopi aut ejus cui subjacere videatur.*] Desideratur numerus canonis Romani, hoc est, c. 15: *Inscriptio capituli 2. de cohabit. cleric. est: Ex decreto Eugenij Papa. Si quisquam sacerdotum &c.* In margine est: *Cap. 3. eod. tit. in 1. compil.*

(10) Quod ad caput 27. attinet 12. q. 1. ejus in eod. libro Romano inscriptio est: *Item ex synodo habita Roma ab Eugenio Papa II. c. 16. Nulli Episcoporum liceat res mobiles aut immobiles &c.* In fine est: *contractatus existat.*

(11) Distin. 72. capituli 1. hæc in eodem libro inscriptio est: *Vnde Leo Papa ait: Episcopus subjecto sibi Sacerdoti vel alij Clerico, nisi ab ipso postularus &c.* In margine est: *Ans. l. 6. c. 122.* Imperfecta hæc sunt. Vide lib. 1. dial. 16. add. 3. in fine.